Condecoratus fuit.

Studiis Philosophicis operam dedit Friburgi Brisgoviæ, ad quæ in hac celeberrima Universitate talem indefessam industriam, ac constantem discendi diligentiam adhibuit, ut 16. dec. 1687. artium liberalium et Philosophiæ Baccalaurei dignitate exornari mereretur; Præter Philosophiam jam simul cursum confecit Theologiæ moralis, quam anno 1689 Lucernam rediens in Lyceo Lucernensi R.R. P.P. Societatis Jesu omni cum laude doctrinæ, et morum repetiit. Interim prælaudatus ejus Patruus, ut statum aut Ecclesiasticum aut laicum eligeret, illi serio instabat, qui tandem Providentiæ divinæ proximum arte medica adjuvandi suggestionem amplectens statui laico se addixit, quam approbans Venerandus ejus patruus eum Bononiam Italiæ Urbem famosissimam misit, in cujus inclyta universitate medicinæ fundamenta ab excell. et doctiss. Professore D. Joanne Hieronymo Sbaralea cum tanta morum ac studiorum probitate excepit, ut etiam dignus estimaretur utriusque universitatis pro Natione germanorum Consiliarium agere, in quem die 24 nov. An. 1691. ad singularem nominis sui gloriam electus fuit.

Non satis admiranda est nostri Medicinæ Candidati et addiscendi diligentia, et ea, quæ perceperat, retinendi memoria, etenim hæc tanta erat,